
DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE ORATIO HABITA PRIDIE KALEN...

Ottavio Passari, Bartolomeo : da#Roma, Valenti Gonzaga



BEATISSIME PATER.



RATIONEM *hanc, quæ, ſi ex ingenii mei tenuitate ſpectetur, nullius eſt ſane pretii, ſi ex argumenti magnitudine, dignitatem ſibi aliquam comparavit, ſupplex Tibi offero,* CLEMENS *Pontifex Maxime. Diu profecto eſt, ex quo nihil*

habebam antiquius, quam ut Nomini Tuo aliquam nuncuparem obſequentis animi mei ſignificationem. Nec porro mihi plurima deerant incitamenta. Sed hujus auctoritatem loci contingere non audebam, quum me quidam non inanis timor ab hoc aditu laudis interpellaret. Timebam enim, ne quis fortaſſe hac in re, ſin minus ambitioſe, me parum ſaltem modeſte gerere arbitraretur. Nam ſi non ingratus, atque immemor exiſtimari velim, de Te loqui vix certe poſſum, ac ne vix quidem, quin amor ille Tuus eximius, ac ſingularis erga nos beneficentiæ magnitudo ſummis laudibus extollatur. Cujus ſane commemoratio quum mihi perhonorifica valde ſit, verebar equidem vel maximopere, ne domeſticam ipſe commendationem aucupari viderer. Tuam quippe beneficentiam quum nomino, tot mihi egregia in patruum meum benevolentiſſimæ Voluntatis Tuæ teſtimonia occurrunt, ut non ab ipſo ſolum, ſed a me etiam æternum exigant grati animi monumentum. Nam ut tacitus prætermittam, quæ in eum beneficia contuleris, quum

in

in amplissimo Cardinalium Ordine versarere; ubi ad augustissimam Divi Petri Sedem ascendisti, nedum paulo post S. R. E. Cardinalem renunciavisti, sed in præsens etiam ejus opera benignissime uteris, eundemque consiliorum tuorum participem honorifice adhibes, & administrum. Hæc profecto singula sic majestate præcellunt, ut nostra Te familia Parentem beneficentissimum debeat perpetuo colere, & venerari. At vero quo sunt ipsa per se digniora, eo magis torpebat mihi præ metu animus, ne, dum maxime gratus, & officiosus esse contenderem, id proficisci ab ostentatione potius, quam a voluntate, atque observantia videretur. Quid igitur? Ab omni prorsus officii genere mihi diutius temperandum statuerem? Id autem nec in patruum meum beneficia Tua cum plane maxima, tum immortalia, nec ejusdem Tuorum in se Meritorum testificatio patiebantur. Malui itaque Tuam publice beneficentiam commemorando modestiam meam in suspicionem vocari, quam aut parum videri gratus, aut immemor. Interim

vero non tam Orationem hanc ipsam, quam oratoris animum veneratione, qua decet maxima, Tibi sisto, BEATISSIME PATER; *& familiam nostram tot immortalibus beneficiis quam gratissimam perpetuo fore promitto, ac ita quidem, ut tametsi cetera possis in nos omnia, amari Te siquando prohibeas, minime possis.*

ORA-



ORATIO.



QUOD universſus Chriſtianus orbis, hac quotannis redeunte celebritate, tantopere collætetur, cum multa ſunt argumenta, multæque cauſſæ, tum Pax in primis, quam mortis victor, triumphatorque ſuis hodie Diſcipulis Chriſtus Dominus annunciavit. Pax enim hæc illa eſt, quæ ſola hoc digna nomine reputanda, cujuſque origo de Cœlo profecta eſt, ubi & ab omni æternitate viguit, & omnem ultra æternitatem vigebit; pax, inquam, illa, quæ non tam veræ felicitatis eſt argumentum, quam ſummæ, pleniſſimæque beatitudinis complementum. Nam ad perfectiſſimum pacis cumulum, quum duo videantur maxime neceſſaria, quorum alterum dignitatis, diuturnitatis eſt alterum, pax quidem ea, quam redivivus attulit Repara-

parator , sic est undique cumulate perfecta , ut eadem & gloriosissima sit , eadem & sempiterna . Quod ne dici fortasse perperam videatur , primum , quæso , de dignitate , tum de enunciatæ pacis immortalitate cognoscite .

Quam Salvatori porro , quam nobis omnibus honorifica pax illa fuerit , qua de nunc agimus , testes profecto sunt beatissimi Apostoli , quibus non tam Christi Resurrectio , quam pax amplissimam tunc honoris prærogativam contulit , quum oculos altera jucundissime pasceret , aures impleret altera suavissime , utraque vero eorum mentibus sic Christi Domini dignitatem mirifice declararet , ut
Joann. 1. gloriam ejus , & gloriam quasi a Patre Unigeniti se conspexisse sibi invicem gratularentur . Atque ut de solo pacis emolumento dicam , hæc certe una tam Christi gloriam , quam quod maxime illustravit . Illum sane gloriosum vidimus in monte Thabor , quum
Matth. 17. resplenduit facies ejus , sicut Sol ; gloriosum tot in prodigiis vidimus , quæ siquis recense-
Joann. 21. re singula vellet , non ea rerum caperet universitas : hæc tamen omnia dum videbamus , ita Reparatoris gloriam contemplabamur , ut eum aut ad breve temporis intervallum Di-
Rom. 8. vinitatis ornamentis indutum , aut in similitudinem carnis peccati missum intueremur .
Coloss. 1. Ubi autem per sanguinem Crucis ejus reconciliata sunt omnia , sive quæ in terris , sive quæ in Cœlis sunt , tunc demum clarificatus
Joann. 17. est Filius Dei , & ea quidem claritate , quam apud Patrem habuit , priusquam Mundus esset . Jam vero quantum hoc habeat admiratio-

rationis, quod nobis hodie in Evangelio proponitur, quis non videt? Spes enim nostra, amor cordium nostrorum Jesus Cænaculum ingressus erat, & quanquam divino lumine circumfusus solis instar esset, omnia, simul ut est exortus, sua luce complentis; ejus tamen aspectu sic sunt Apostoli conturbati, ut inanem se spiritum intueri existimarent. Joann. 20.
Vix autem Regem sese pacificum declaravit, eorum tam est repente mutata facies, ut superfundentibus se in vultus gaudiis, divina prorsus, atque incredibili voluptate gestirent, exultarentque, nec exultarent modo, verum etiam præ gaudio mirarentur. Nec Ibid.
mirari sane non poterant, quum eam Redemptoris gloriam, quam primo quidem aspectu vix tam novi triumphi species declaraverat, declaratam referre paci deberent, tanquam omnium, quæ Christus gesserat, non complemento minus, quam cumulo. Pacis quippe nomen & magnificum est, & ipsa res omnium maxime salutaris. Ut enim circumspiciamus omnia, quæ sua nobis servitute peperit Christus Jesus, unum tamen opus justitiæ pax, omnium facile gloriosissimum nuncupabitur. Isa. 32.
Intellexit hoc equidem Regius Vates, qui quum opera Domini, & Psal. 45.
quæ posuit prodigia super terram, spectatum nos invitaret, ut uno veluti sub aspectu proponeret universa, nihil ipsi ad gloriam magnificentius occurrit, quam quod arcum conteret, & confringet arma, pacem nimirum, sed pacem veram ubique gentium excitabit, confirmabitque. Quam quidem & Angelorum

vo-

vocibus excitavit vix e Cœlo delapsus, &, ubi vita refloruit sempiterna, ipse per se confirmavit, tantoque plane illustrius, quanto major est triumphantis dignitas, quam obsequentis. Age vero si qualis tandem pax ista fuerit, intelligatur, nonne multo etiam luculentius ejus ubique dignitas innotescet? Eo enim tam honorifici nos largitione muneris adducti sumus, ut nostra jam triumphare oratio possit, & exclamare, en illa illa, quam tandiu expectavimus, optatissima pax, quæ primæva humanitatis jura e postliminio revocavit, eamque nulli secundam reddidit, quæ, ut Chrysostomus ait, & Angelos ad nos deduxit, nostrique conditionem generis ad Angelorum extulit amplitudinem, quæ cum mortalibus immortalia conjungens æterno nos rerum Domino mirifice copulavit, quæ demum & Christi gloriam Resurgentis præclarissime illustravit, nobisque peperit universis amplitudinem, dignitatemque omni prædicatione majorem.

Hom. in Lad Colosſ.

Verum quæ pax e terra nasci non potuit, ut e Cœlo nata dicatur esse, illud etiam videtur necessario desiderari, tantæ ut dignitati ejus immortalitas quoque accedat. Neque enim ulla potest excogitari plena felicitas, si non eadem sit immortalis. Pacem vero, quæ nobis hodie divinitus annunciatur, non iisdem esse, quibus hæc vita, terminis circumscriptam, illud in primis docet, quod tanta e Cœlo felicitas delapsa est, æterna jam Redemptione inventa; quæ quidem pacis quum caussa fuerit, eamque sibi devinctam perpetuo sit habitura,

Heb. 9.

tura,

tura, quis non certissime futurum putet, ut Redemptionis cum æternitate conjunctio firmitatem pacis afferat sempiternam? Quid, quod antiquus serpens abjectus jacet, & alligatus, nec ulla jam pernicies comparabitur a monstro illo, quod retorquere quidem oculos in Ecclesiam potest, ejus vero vel potestatem frangere, vel pacis stabilitatem evertere nullo modo potest? Vicimus enim, magnificeque vicimus, quum Christus Jesus immortalitate sua nostram induit humanitatem,
quum solus inter mortuos liber sua dissolvens *Psal.81.*
vincula, nostra quoque disrupit, quum dele- *1. Cor.15.*
tum denique peccati stipendium est, & absorpta mors in victoria; quæ sane omnia si pacis æque, ac immortalitatis indicia sunt, hodiernam certe celebritatem necesse est firmitudo pacis maxima consequatur. Morte siquidem, & Diabolo superatis facile est intelligere, hanc fore pacem omni temporum diuturnitate majorem. Ac mihi quidem cum hæc certissima videntur esse argumenta, tum multo illa certiora, quæ divino sunt Salvatoris
oraculo confirmata. Pacem ait, non quomo- *Joann.14.*
do Mundus dat, multis nempe aut simultatibus, aut suspicionibus intermissam, fallacem, lubricam, mendacemque; sed pacem suam se nobis dare, pacem relinquere, eam scilicet, quam habet ipse, quamque qui possidet, beatitudinem est assequutus ex omni parte perfectam, ideoque æternam, & immor-
talem. Pax, inquit, vobis, ego sum, nolite *Luc.24.*
timere; perinde quasi sic nos tacitus admoneret; ego, qui vulneribus in gloriam commuta-

mutatis; spoliatisque inferis Patriarchas, & Prophetas mecum ab umbra mortis ad immortalitatem adduxi; ego, cujus ut divina, sic immortalia sint opera necesse est, ego sum, pacem qui vobis affero; timorem ergo, si quem habetis, deponite; pacem annuntio vobis, pacem relinquo suavissimam, solidam, absolutam, & immutabili cum æternitate victuram. O nuntium vere jucundissimum, & omni humana cogitatione sublimiorem! O pacem nulla unquam temporum vicissitudine dissolvendam! quæ nullo vel motu concuti, vel injuria dissolvi possit, cui se pro vinculo, & quasi vadem Deus ipse dedit. Verum quæ nobis est immortalis tradita, quæ nulla violari ratione potest, eam nos ipsi pacem violamus, eam dissolvimus, quia non idem sapimus, quia quæ Christi sunt non quærimus, nec in pace sunt ea, quæ possidemus. Quid restat itaque, nisi Deum obsecrare, atque obtestari, ut quam Apostolis sempiternam dedit, eam ipse in nobis pacem faciat immortalem? Tuum igitur est, Christe Jesu, opus explere, quod inchoasti, tuum est id efficere, ut nihil tua nos separet a charitate, nihil a pace dividat, quam nobis hodie & gloriosissimam, & sempiternam annunciavisti. Valeat tua pro nobis virtus: nostræ valeant apud te preces, sicut tui pro nobis suscepti labores, tua mors, tua vulnera tantopere valuerunt.